

esse directum, videlicet ut erga Deum summum benefactorem testemur nostram gratitudinem, & hac ratione in veritate & iustitia ipsum celebremus. In veritate, dum fatemur quod res est, nempe Dei erga nos benignitatem, & nostram indigentiam. In iustitia, dum Deo tribuimus quod suum est, nempe honorem & gloriam. Idem in hoc loco quoque observandum. Virtus exercenda est, ut per eam Deus tanquam omnis boni & honesti fons & scaturigo à nobis celebretur. At, inquis, virtus per se expetenda est, quia est τὸ καλόν. Verum est, inquam, ratione illorum honorum, quæ in virtute continentur; interim tamen non excluditur quod ad Deum pertinet.

*In veritate.
In iustitiâ*

8 Fines subordinati sunt, Honesta fama & Felicitas.

*Felicitas alia
est ethica, alia
theologica,
illa in gloria.*

SCHOL. Possunt etiam virtutis effecta dici. Inter finem enim & effectum magna sæpe est cognatio, ut in idem incidant. Ideo virtutem colimus, ut apud alios inde bene audiamus, nobisque honestam famam acquiramus. Omnes enim, ut ad alia studia, ita ad virtutis exercitium incendimur gloriâ. Deinde, quoniam omnes cupimus nobis bene esse, per virtutem ad felicitatem, quam Aristoteles εὐδαιμονίαν vocat, contendimus. Atque hæc εὐδαιμονία est summum illud bonum, quod philosophi tantopere commendant. Consistit autem summum bonum in conjunctione cum Deo, quâ homini nihil potest esse melius. Ut enim peccatum hominem à Deo sejungit, quæ sejunctio summum est malum, sic virtutis studio homo cum Deo conjungitur, ex qua conjunctione in homine existit tranquillitas conscientiae, & ineffabile gaudium. Sic ergo bonum virtutis via est ad bonum conditionis. (Principalis)

9 Efficiens causa virtutis, est vel prima, vel secunda.

10 Prima, ut Deus.